



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 146. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem apretiaverunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 145. *Propter quod vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis usque in hodiernum diem. v. 8.*

Propter quod, scilicet pretium, vocatus est locus ille Haceldama, hoc est ager sanguinis quia pretium sanguinis fuit ex quo emptus est; nec sine causa, ut sic nunquam deleteretur memoria istius tragœdiæ magnæ, proditoris Iudæ, iniustitiæ & iniquitatum populi & principum Iudæorum, etiam apud peregrinos ex toto terrarum orbe eodem adventantium; sed maneret recens & stabilis tam apud incolas & Iudæos ipsos quam peregrinos & gentiles; ut dum adveniret calamitas & vindicta super se & Civitatem & filios suos, non mirarentur causam, aut investigarent, sed in promptu haberent cui intuerentur agrum illum Aceldama, hoc est sanguinis iusti, quem iniuste damnarunt Patres ipsorum, qui & testaretur & clamitaret vindictam semper donec vel per pœnam plane satisfecerint, vel pœnitentiam, adhuc enim ille sanguis bulliens est & vivens.

Domine iram tuam mereor in dies & vindictam sanguinis tui pretiosi, quem in dies calco quodammodo pedibus, vendito hostibus tuis, per multitudinem & gravium peccatorum meorum, & vix pœnitentiam ago, ideo timeo ne sanguinis tui ultio veniat super me & moriar æternaliter, rogo ergo. *Converte me Deus salutaris meus & averte iram tuam à me, ne sanguinis tui ultionem sentiam, sed meritum in cœlis.*

§. 146. *Tunc impletum est quod dictum est per Hieroniam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiatum, quem apretraverunt à filio Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut mihi constituit mihi Dominus. v. 9. & 10.*

Afferit hic Evangelista Sacræ scripturæ seu Prophetarum auctoritatem, qui multos ante annos hoc ipsum Iudæis vaticinati sunt potissimum Hieronias & Zacharias, quarum hic partem unam, alteram ille prædixit futurorū, scilicet ut pecuniâ sive triginta argenteis, quos daturi essent pro traditione Christi Messîæ, empturi essent agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Cur autem Evangelista intermiscet Prophetarum auctoritates? certe non alia ratione, quàm ut ostenderet in Christo completas esse Prophetias ipsorum, & Iudæos non habere modò excusationem amplius sperandi adventum Messîæ & Salvatoris promissi, qui tam clarè promissiones fecisset impleri. & ipsi viderent Prophetarum dicta adeo quadrare & convenire vitæ Christi, ita ut vel inde elucescat zelus Apostolicus qui conatus est Iudæos ad agnitionem veræ fidei adducere, ut salvi fierent in die Domini. Providentia autem mira Dei factum puto, ut pretium Salvatoris venditi & empti, non
lump-

sumptum peccatoribus, præberet, sed peregrinis mortuis requiem, ut intelligamus Christi Passionem, non in solis viventibus habere vim, & ad eos pertinere solos; sed & ad mortuos, quod convenienter scripturis semper creditur & credit Ecclesia Catholica, dum sacrificium Christi, non solum pro viventibus, sed & defunctis, obstrepentibus licet Pseudo-Evangelicis, quotidie in orbe terrarum immolare non cessat.

Domine Jesu Christe, qui voluisti ut pretio sanguinis tui ager ille totius mundi, & siguli sempiterni emeretur in sepulturam & requiem peregrinorum: peregrinus à te sum ego miser & imbecillus, longè à virtutibus & mandatis tuis evagatus, cupio redire ad te: concede ergo gratiam mihi peregrino & misero, ut ita in hoc agro mundi vivam peregrinus, ut aliquando inveniam absoluta peregrinatione mea requiem sempiternam. Amen.

§. 147. *Iesus autem stetit ante Præsidentem. v. 11.*

Absoluto tragico interludio de Iudâ proditore, redit Evangelista ad Christi Passionem virtutes & merita, & dicit, *quod steterit Iesus ante Præsidentem.* Ecce homo, ecce Salvator tuus, legifer tuus, Deus tuus quomodo humiliat se, ut coram creatura sua Creator, Dominus coram servo, Deus coram homine stet humiliatus, agnoscens in homine creatura sua potestatem, & prælaturam Judicis, uti reus se habet Dominus coram servo, imo sedente servo stat Dominus, submissis oculis expectans vel sententiam vel interrogaciones servi. ô inversum ordinem! sed vide hic, ô superbū animal, homo. Vide, an tu coram Deo tuo te ita humilies? an non subinde ex mera ignavia se deas coram Deo tuo in Eucharistia? An & coram minore te sedente stares adeò humilis? Non credo. Veruntamen ea est humilitas & virtus Christi.

Pudeat me, Domine, quod ita superbus sim, ut tibi similia necdum facere possim aut velim, te duce & præcedente. Velim, ô, velim Domine humiliare me in omnibus propter te: & à me discedat omnis phantasia superbiæ, ut semper humilis toto corde & puro affectu tibi sincere serviam & placeam. Ita me Deus adjuvet & amet.

§. 148. *Et interrogavit eum præses. v. 11.*

Præses facit officium boni Iudicis saltem politicè, quia accusatum interrogat de reatu suo, ut possit secundum allegata & probata iuste iudicare, ne ab ipsis Iudæis apud Cæsarem accusari posset, de negata vel male administrata iustitia. Utinam omnes Iudices sic facerent, nec tam cito ad verba adversariorum, vel amicorum suorum sententiam ferrent, donec bene examinata causa, vel ipsis reis confitentibus veritas pateret.

M 2

ô Jesu